

CALLIMACO ESPERIENTE
 Philippo Bonaccorsi

CARMINA
 CARMINUM APPENDIX

(901 vers)

CARMINA

AD FANNIAM SVENTHOCAM

C1_01 v.1 Fannia, formarum specimen regionis ad Arcton
 2 algentis Borea perpetuaque nive,
 3 commodiorem loco fueras dignissima nasci
 4 et fieri terre prosperioris honor.
 5 Debuerat Sparte vel te genuisse Mycene
 6 grata vel aeterno Sidonis ora Jovi,
 7 aut tibi nascenti Cycladum regina natatrix
 8 Delos erat certo constituenda vado,
 9 si non Latone erranti stabilita fuisset
 10 cum vetita ad partum cetera terra foret.
 11 Illa quidem divos peperit fecunda gemellos
 12 ne nox transiret ne sine luce dies.
 13 Sed quae nocturnis radiis, mea vita, niteres
 14 utilius mundo te peperisse fuit,
 15 tu neque fraterno caperes a lumine lumen,
 16 illius per te lampade clara magis :
 17 tu neque nunc positis nunc sumptis cornibus usque
 18 fulgeres aliter dissimilisque tibi
 19 nec vidua omnino sensim splendore lateres
 20 alterni mundo luminis ora negans
 21 sed pleno et nitido radias orbe perenne
 22 per mare per terras nocte iter omne regens.
 23 Nec tantum est ortu geminorum clara deorum
 24 Delos, quam si illic unica nata fores
 25 vel si lege aliqua fatali barbara tellus
 26 inclita natali debuit esse tuo,
 27 tempora te saltem quondam meliora tulissent,
 28 cum peperit vatem Calliopea suum.
 29 Ille tibi merito tribuisset carmine laudes ;
 30 ille deae nomen nec minus officium,
 31 conjugis et carae prae te contemnere mortem ;
 32 et potuit Stygias non adisse domos
 33 quod si te illius forsann connubia justa
 34 fecissent socia parte jacere tori
 35 ac medio in cursu pariter vitamque fugamque

36 impia fregisset reptilis ira tuam,
 37 ter quater elusus postquam repetisset ab Orco,
 38 Tartareas ultra se tenuisset aquas,
 39 aethereasque auras sine te sprevisset adire
 40 et te flevisset fata vidente tua,
 41 sed tam formosis cavisset vipera suris
 42 vulnera letifero figere dente suo,
 43 calcares nudis pedibus secura dracones.
 44 Namque tuo innocuum virus honore foret
 45 gauderentque illi teneris se subdere plantis
 46 et niveis talis oscula blanda darent.
 47 Sic ille extremos felix mansisset ad annos
 48 tuque etiam toto notior orbe fores.
 49 Namque tuis ardens facibus non impia Lemni
 50 vulnera, non furias femineumque nefas,
 51 non pueri Herculei casum, non improba fontis
 52 numina, conspicuas unde patebat aquas,
 53 non iter insuetum pelagi primamque carinam,
 54 non spolium auratae concinuisset ovis ;
 55 sed simul ingenium citharamque artemque canendi
 56 jussisset titulis semper adesse tuis,
 57 atque suos recinens, aliorum oblitus amorum,
 58 implesset gentes nomine ubique tuo.
 59 Sed quoniam voluere dei sis gloria nostri
 60 temporis et Getici numen honorque soli,
 61 qualescumque tibi dicam, mea Fannia, versus
 62 sint tibi candoris pignora certa mei
 63 et lege non dura facie quaecumque reponet
 64 pervigil in laudes jam mea Musa tuas.
 65 Materiae, fateor, multo sum viribus impar,
 66 et minor est humeris sarcina danda meis.
 67 Sed quis rite queat superum laudare parentem ?
 68 Aspicimus multos hoc voluisse tamen
 69 et sua facta cani mortali Jupiter ore.

AD BASSUM

C1_02 v.1 Liber eram nullosque mihi meditabar amores,
 2 contentus casto vivere posse toro :
 3 ast amor abruptit pactae mihi foedera pacis
 4 et jubet assueto reddere colla iugo.
 5 Prima peregrinis faculis mea pectora doris
 6 attigit et mentis sedit in arce meae,
 7 dura sed inceptas fregerunt sidera curas
 8 et periit subito vix bene natus amor.
 9 Candida nunc nostros vexabit Fannia sensus
 10 servili quae iterum condicione premet,
 11 sic ego non aliquo victurus tempore liber
 12 praeda pharetrati semper amoris ero.
 13 Sive hanc nascenti legem dedit hora maligna
 14 fitque meum molli sidere pectus iners ;
 15 sive aliquid natura jubet me semper amare
 16 inque tuis castris signa tenere, Venus ;
 17 sive adamanteo fuso fatalia nentes
 18 hanc curam filis implicuere meis :

19 ardor inest menti tecum gerere arma, Cupido,
 20 nec licet a signis me procul esse tuis.
 21 Hinc mihi quaerendae monstratur meta quietis,
 22 hac mihi per populos fama petenda via.
 23 Alter odoratam Cilicum festinet ad oram
 24 ut referat plenas divite merce rates :
 25 quem mare, quem venti, quem caeli torqueat ira
 26 et cupiat nudus posse tenere solum ;
 27 alter bella gerat, nomenque undante cruore
 28 quaerat et ingentes quas tueatur opes ;
 29 verba locent alii legesque in nocte revolvant
 30 sollicitis linguam prostituantque suam,
 31 ut devota ferant miserorum dona reorum
 32 et sint purpurea turba verenda toga ;
 33 auribus injustis alter servire tyranni
 34 natus : at est sermo liber in ore meo.
 35 Ergo ego, quod fatum seu vis natura paravit
 36 laetus iter toto tempore, Basse, teram :
 37 sintque, licet, regum sublimia gesta priorum
 38 nostrorumque nihil deteriora ducum :
 39 delicias noctesque meas et proelia dicam
 40 quae me cum domina coget inire dolor.
 41 Cumque meis Musis Romano Fannia curru
 42 ibit per gentes conspicienda suas.
 43 Nec dubito antiquas nostrasque anteire puellas,
 44 cum legerint mores effigiemque meae.
 45 Unus et alter erit qui secum forte requirat
 46 natane sit Getico tam bona forma solo ;
 47 ast alii ingenii dicent me desidis esse,
 48 quod nequeam curas evigilare graves.
 49 Quorum ego iudicium possum contemnere, dum me
 50 Fannia Sarmaticis praeferat una procis.

AD GLAUCUM ENETUM

C1_03 v.1 Nil ego tam duro speravi tempore laetum,
 2 nil fore credebam jam nisi triste mihi :
 3 una sed arrisit mediis tamen hora procellis
 4 et paulum fati substitit ira mei ;
 5 nam cum fortuna dudum vexatus iniqua
 6 naufragio vellem bracchia victa dare,
 7 sponte sua : "Properat - dixit mihi Fannia - letum,
 8 desine tu vitam praecipitare tuam,
 9 ante diem rugas inducit cura seniles,
 10 ante diem canis inficit illa cutem.
 11 Non tamen aeternum fati variare tenorem
 12 Parcarumve potest illa movere colum.
 13 Omnia perpetuo causantur ab ordine caeli
 14 atque homini quicquid contigit inde venit.
 15 Caucasei quamvis fugias post culmina montis
 16 illic a fatis inveniere tuis :
 17 sideribus caeloque patent quicumque recessus,
 18 et nihil in terris astra latere potest.
 19 Non juvat, adverso caelo, tentare latebras,
 20 nilque, illo dextro, non timuisse nocet.

21 Excute sollicitas trepidanti e pectore curas
 22 nec sis ante miser quam tua fata velint".
 23 Haec ait, et demptam propria de fronte coronam
 24 imposuit capiti protinus illa meo ;
 25 et cumserta daret pariter dedit oscula, dicens :
 26 "Hoc certum nostri pignus amoris habe".
 27 Ignibus arentes stipulas tetigisse putares,
 28 sulfureasque simul supposuisse faces,
 29 sic jecur et totum pectus mihi protinus arsit
 30 sensit et ardores quaeque medulla meos.
 31 Tum gravibus jussi subito discedere curis
 32 et mediis mens est facta serena malis.
 33 Tristitiam et juges lacrimas miserisque querelas
 34 deposui ac pondus pectoris omne mei.
 35 Quid mihi - dicebam - patria tellure carere ?
 36 Quid mea si Scythicum conteget ossa solum ?
 37 Est eadem, quocumque voces tu nomine, terra
 38 cui dandum est pariter quicquid ubique viget.
 39 Sollicitent alios communia busta parentum,
 40 ut generis jungant ossibus ossa sui :
 41 me caeli convexa tegant, jaceatque cadaver
 42 sideribus quovis testibus orbe meum.
 43 Exiguas mentes patriae confinia claudunt
 44 natalisque tenent religione soli :
 45 at velut una domus censetur fortibus orbis,
 46 et caelum magnus spiritus omne capit.
 47 Quisquis ades, deprome merum : jam pocula curas
 48 vincant et risum laetitiamque parent !
 49 Frangantur quocumque die, quocumque recessu,
 50 fila meae vitae, mors mihi levis erit,
 51 et si non celebris deducet pompa meorum
 52 funera, me tumulo Fannia sola dabit.
 53 Illa suo interea quicquid mihi fata relinquunt
 54 staminis, ad vitam temperet arbitrio.
 55 Et sibi me laeto jubeat servire labore
 56 ac teneat vitae singula jura meae.
 57 Felicem me sola potest nam reddere semper
 58 et fieri cogar, si volet illa, miser.
 59 Sed facilem mitemque jubet sperare corolla
 60 quam mihi tam blanda fronte manuque dedit.

DE CORONA A FANNIA SIBI DATA

C1_04 v.1 Ite procul, lauri, celebres ornate triumphos
 2 Aoniosque viros Castaliumque chorum ;
 3 cingite honoratas caeso Pythone pharetras
 4 et date Phoebae vividaserta lyrae ;
 5 flexipedes hedere Bacchea petorrita velent,
 6 cumque suis foliis ambiat una caput ;
 7 corniger aeriapraecingat tempora pinu
 8 Faunus et in ferule flore superbus eat ;
 9 Amphytrioniades silvae fluvialis opacet
 10 frondibus hirsutas et sine lege comas ;
 11 Pallada paciferae circumdet ramus olivae
 12 unde etiam vati grata corona datur ;

13 littoreis myrtis Venus insignita capillos
14 inspargat templis flava pyrethra suis,
15 gramine sed Mavors adamantina in aede columnas
16 ornet nativis non secus ac hederis.
17 Verbena cumuletur honos solemnibus aris
18 liminibusque sacris culminibusque simul ;
19 Tarpeio sua salva Jovi sit quercus et inde
20 detur servati civis ab hoste decus.
21 Navali murique caput sub laude coronet
22 alter et in sertis obsidionis eat :
23 at mea Naiadum pulcherrima Fannia semper
24 ut nuper texat floreaserta mihi.
25 Aspice ceu vario distinxit in ordine flores,
26 unus ut alterius gratior esset ope :
27 est, fateor, numerus mirandus mille colorum
28 sed magis artificis conspicienda manus.
29 Non opus hoc potuit rerum natura parare
30 sparserat at flores per loca multa suos ;
31 pars erat in pratis, sine lege sine ordine, serti
32 haerebat duris altera nempe rubis,
33 Fannia sed nullo passim splendore jacentes
34 legit et aetherae texuit arte manus.
35 Tale fuit sertum Venerem quo cinxit Apelles
36 taleque cum rapta est pulchra Lacaena tulit.
37 Talis et incedit variata coloribus Iris
38 per nubes, Juno, cum tua jussa vehit.
39 Sive manus doctos juvat inspexisse labores
40 pulchrius hoc ullum non habet orbis opus ;
41 sive juvat multos pariter comprehendere flores
42 his modo quem possis jungere nullus erit.
43 Adde quod in terris nihil est fragrantius usquam,
44 ex multis mixtus tam sapit unus odor.
45 Huic Arabum cedat messis Cilicumque manipuli
46 quicquid odoratum terra Sabaea gerit.
47 Corycii non aura croci non innuba laurus
48 sic olet aut pomis arbor onusta suis.
49 Non Jovis huic ausim ditem conferre tiaram
50 sint ibi pro gemmis sidera multa licet.
51 Non diadema tuum baccis auroque coruscum,
52 Phoebe, licet caeli luceat inde decus.
53 Quid mihi cum magno regalis honore coronae
54 sub qua curarum milia multa latent,
55 dum caput in violis, melilotis atque hyacinthis
56 et caltis ornet Fannia saepe meum.
57 Floribus ornavit divum simulacra vetustas.
58 Divitiis nostris gratior illa deis.
59 Inter mortales tunc passim numina mixta
60 carpebant uno lancis in orbe cibos
61 stramineique tori, tectae palustribus ulvis
62 quam caelum longae plus placuere casae.
63 Sed postquam nostros aurum concessit in usus
64 et periit castae simplicitatis amor,
65 deseruere hominum superi commercia seque
66 caelestes intra continuere domos.
67 Grata deis florum mihi sint gratissimaserta,
68 flore meas cingat Fannia saepe comas.

AD FANNIAM SUPERBIENTEM

C1_05 v.1 Quid furis, audaci nimium confisa juvena,
 2 Fannia ? Non semper quaelibet herba viret
 3 quae modo florebant biferi violaria Paesti :
 4 vix bene transacto mense, perusta rigent.
 5 Perpetuo nec nube carens stat lucidus aer,
 6 nec semper plena lampade luna nitet.
 7 Lilia vere novo, fruges aestate leguntur,
 8 poma dat autumnus, frigore torpet hiems.
 9 Te quoque mutabit venturi temporis ordo,
 10 non erit aeternum tam bona forma tibi :
 11 paulatim color et facies aetasque peribunt
 12 per quae nunc populo conspicienda venis,
 13 et cutis in rugas redigetur lassa seniles,
 14 nam de te spoliū quaelibet hora rapit.
 15 Tunc neque nocturnos miscebit rixa tumultus
 16 ante fores turba conveniente tuas.
 17 Nec dolor exclusi sonnos tibi rumpet amantis,
 18 nec canet ad limen carmina blanda tuum ;
 19 nullus erit qui ferre tuos tunc, Fannia, fastus
 20 non neget, aut pro te qui velit esse miser :
 21 ipse ego, qui tantos infracta mente labores
 22 sustinui, credas, postmodo segnis ero.
 23 Praesertim si dura, tuae sub flore juventae,
 24 nunc fueris nimium difficilisque mihi :
 25 nam quid erit de te quod tunc meminisse voluptas
 26 sit mihi ? Quid cujus paenituisse negem ?
 27 Acta juventutis senium tolerabile reddunt
 28 et prosunt vita facta priore seni.
 29 Sic canis, annosus nutritur honore juventae,
 30 si celer ante alios sollicitusque fuit.
 31 Nec stabulo gravis exstat equus jam tempore fractus
 32 cujus in Eleo pulvere palma fuit.
 33 Tu quoque, dum tempus patitur, faciesque decora,
 34 dum Veneri possunt vota placere tua :
 35 hoc age ne tandem tua sit deserta senectus
 36 sitque aliquis tumulum qui fleat ante tuum.
 37 Res invisā feras inter ratione carentes
 38 fastus, et hinc volucres odimus ungue truces.
 39 Turpius est homini quicquid fera turpiter audet,
 40 ni frustra in nostro pectore sit ratio.
 41 Conveniunt mores mites facilesque puellis
 42 et formae ingenium par decet esse bonae :
 43 est tibi quam vellet facies habuisse Lacaena,
 44 vel quae mendacis tergore vecta bovis.
 45 Quid tibi cum fastu ? Quid per te, mente superba,
 46 destruitur formae gratia tota tuae ?
 47 Jam nunc, aetatis memor ulterioris, amantis
 48 luminibus placidis vulnera cerne tui,
 49 notaque per populos fieri quocumque labores
 50 carmine, ne tumulo tota tegare tuo :
 51 sed tua post cineres funebres fama supersit,
 52 et de te veniat murmur in ora diu.

53 Spernere sic rugas poteris faciemque senilem,
 54 nam tibi qui nunc est tunc quoque candor erit.
 55 Credibile est Helenae tempus variasse figuram,
 56 et faciem Antiopae consenuisse reor :
 57 quo tamen Antiopes memorata est forma libello
 58 non bona, quo turpis lecta Lacaena loco ?
 59 Tu quoque, crede mihi, rari per compita vultus
 60 exemplum in sera posteritate dabis ;
 61 et cantata meo calamo speciosa fereris,
 62 nec tantum in Scythico conspiciere solo.
 63 Ausoniis quaecumque patent loca pervia Musis
 64 implebit per me nominis aura tui.

CARMINUM APPENDIX

DE PEREGRINATIONIBUS. AD FANNIAM SVENTHOCAM

C2_01 v.1 Scire meos casus populos gentesque requiris
 2 et loca quae vidi fatis agitatus iniquis
 3 quae memorare animus pavet et meminisse (per aevum) (vers lacuneux)
 4 Lethaeosque amnes totos hausisse libenter
 5 vellet ut indigni cessissent mente labores
 6 immeritaeque fugae memorem deponere curam
 7 posset, et ingenio toto, mea Fannia, famae
 8 inservire tuae. Sed si te tanta cupido
 9 urget ut indignos renovem sub mente dolores,
 10 accipe qua serie meus huc me duxerit error :
 11 tertia jam rediit decussaque montibus umbra est
 12 et quater in campis sulcos renovavit avarus
 13 agricola et gravidos numerosa messe maniplos
 14 sustulit adversis postquam Lavina reliqui
 15 litora sideribus veteri parvoque phaselo
 16 ausus adoratis pelagi cum numine nymphis
 17 Tyrrhenum sulcare salum, Circaeaeque circum
 18 saxa, sepulcrales voces audire ferarum
 19 truncorumque, aviumque simul, quas illa nefando
 20 carmine (ab) humanis jussit migrare figuris
 21 in varias formas ; nec mi cariosa pusillae
 22 rimarum compago ratis puppisque fatiscens

23 fida minus visa est, quam nomina sancta per orbem
 24 Tarpeiae turres patuli et munimen asyli.
 25 Illinc, augustae cum jam mihi moenia Romae
 26 interdicta forent, cum jam loca cuncta putarem
 27 Italia mihi tuta magis, primordia longi
 28 erroris cepere mei ; tum nomen habentes
 29 deveni Pelopis terras, si forte cubile
 30 Herculei monstri, Nemeae mihi silva pateret :
 31 Nonacriumve nemus riguive aestiva Lycae
 32 aut Lernaea palus cineresve novemplicis Hydrae ;
 33 nec minus accessi scopulosae saxa Maleae
 34 Taenarus exiguis ubi collibus imminet antro
 35 unde iter ad Stygios et lurida concava Ditis.
 36 Eumenidumque voces et sibila dira comarum
 37 tergeminique canis jejunos visus hiatus
 38 audire et sonitum gemitus atrosque tumultus
 39 frigidus attonito totus sudore putavi
 40 tutius exiguae rursus me credere cymbae
 41 Ionioque mari quam si loca vivus adirem
 42 functorum, datur ad superas unde exitus auras
 43 rarus ; et a laeva jam jam Cythera relictas
 44 ante oculosque Calum stabat calamisque Cydonum
 45 terra ferax unde in pugnas venere sagittae.
 46 Nec mora me Candos Dictaeo proxima monti
 47 excipit exiguis operosoque aggere tutis
 48 vestibulis, haud inde procul quo cornua taurus
 49 exuit aethereus, regem confessus Olympi,
 50 Sidoniumque remisit onus quod nomina secto
 51 imposuit mundo. Sed nec mihi cuna tonantis
 52 Ida repercusso famulata ululatibus aere
 53 libera ab insidiis visa est, nec saxa sepulchri
 54 illius, et paucis ossa aspicienda piorum ;
 55 non labyrinthus nulli remeabilis error
 56 Gortynique ducis profugum compago recepit.
 57 Ergo iterum cymba quae vix stagnantibus undis
 58 par erat, et zephyris patiens adnare quietis
 59 Carpathium superare, Paro hiemesque sonantes
 60 Niliaci Syriique freti proramque Canopi
 61 ad vada convolvo Cretamque a puppe relinquo ;
 62 et jam Phariacus lapis et Mareotica Coptos
 63 stabat in aspectu, jam mollis flumina Nili
 64 cernere erat, subitis madidus cum nubibus Auster
 65 incubuit prore lintremque ad litora Cypri
 66 vertit, harenosas prohibens Ammonis ad aras
 67 confugere et specibus latebras inquirere sacris.
 68 Jamque Palepaphio figebam litore prona
 69 oscula et auratae Veneris vestigia pulchra
 70 laetus adorabam et scopulos spectare placebat,
 71 quos dea signatos pedibus manibusque reliquit,
 72 cum prius humenti spumas egressa marinas
 73 corpore, tam sancto dignata est numine terras ;
 74 ecce ruinosus vox exaudita sacellis
 75 me subit, atque aliam jussit conquirere sedem.
 76 Inde ego, Pamphylis sulcans extrema profundi,
 77 aspicio dextra Tauri duo cornua montis,
 78 a quibus immanis distenditur umbra recenti

79 sole super fluctus, quae monstra natantia terret,
80 Nereidumque choros donec sol altior illam
81 contrahit aut undas subiens in terga recurvat.
82 A facie tumulus Myrthous, et ardua saxa
83 incultumque jugum Cariae Coaeque supinum
84 litus et irriguae celeberrima murmura lymphae,
85 quae Samiae delubra rigat Junonis, et ambit.
86 Dextra Rhodos erat post tergum laeva Megista,
87 a prora Cycladum stabat regina natatrix
88 Ortygia ante ortum Phoebi, niveaeque sororis,
89 nunc imis annexa vadis venerandaque longe
90 templa ruinarum monstrabat mole futuri
91 quis fuerat quondam dubiis per compita rebus
92 indubitata fides ; paulatim laeva subibat
93 Naxos et Othrysiis nivibus Marpesia cautes
94 aemula cum cepi procul inspectare Phaneti
95 pampineos colles vixque haec in verba resolvi
96 tristitiam : "Erratum multum quaesita per orbem
97 insula Lemniadum fugienti dira sororum
98 tuta Thoanteae si quondam littora prorae
99 junxisti et latebras profugo sedemque dedisti
100 aut Ariadnaeae si jurgia digna querelae
101 percita sensisti pietate et perfida Thesei
102 foedera pensasti multo meliore marito,
103 excipe me latebrasque fuge requiemque merenti
104 da mihi et in portum veniam concede secundi
105 sideris auspicio, tandem maria omnia circum
106 sit satis errorum saltem mihi busta fatiscant
107 Maeonii vatis magnique ad saxa sepulchri
108 des canere aetherei cinere aspirante magistri".
109 Attigeram litus et arenae afferre petite
110 vix bene desieram trepidanti basia labro,
111 in mea cum rursus commenta est fabula damna
112 pracipitorque iterum in pelagus Phrygiaeque minoris
113 advolvor scopulis Phoecaeque litora circum
114 praetereo ; a laeva muliebri ornata poesi
115 Lesbos erat, coram Sigei culmina montis
116 nubila tangebant, Tenedos jam terga subibat
117 irrequieta vadis, jam Pontum, ubi cornua Phrixus
118 Aurea complexus geminato pollice caram
119 destituit comitem, tranabam, et dextra carinae
120 Scamandri resonabat aqua venientis ad Hellem,
121 et Simeontheas agitabant aequora nymphas,
122 non tenui gemitus casus memoratus acerbos,
123 humor ab Idaeo totiens renatatus ephebo
124 ut fuit ante oculos Sextaeque ad tecta puellae
125 conversus dixi : "Quacumque Leander harena
126 integeris, miserande puer, tibi tempora vitae
127 fata meae melius servassent meque juventa
128 jussissent media miserum deponere pondus :
129 occidis infelix nimium dum vita placebat,
130 nec tepefacta tuis totiens ardoribus unda
131 horruit heu carae clamantia nomina nymphae
132 obruere ora, tibi nunc nunc instare procellis
133 omnibus et tota vertigine debuit ut me
134 solveret invisio Parcarum stamine vita,

135 errandique modum faceret mihi sede perenni".
 136 Talia dicenti Cyanes concurrere dictae
 137 apparent patuitque mihi Byzantia tellus.
 138 Illic dira mei paulum cum sideris ira
 139 cepisset saevire minus, vacuata repleri
 140 aspexi novies candentis cornua lunae.
 141 Tum Ciconum fines Dryopaeaque linquere rura,
 142 Ismariumque jugum nebulisque carentis Anauri
 143 litora et Amphrysii fecunda liquoribus arva
 144 institui et gelidae gentes spectare sub axe
 145 argentes Boreaeque domum glaciesque Rhiphaeas.
 146 Sic iter, Inachiis ripis post terga relictis,
 147 ad juga Bistonii converti protinus Haemi.
 148 Et jam Strymonias undas silvisque comantem
 149 transieram Rhodopem, cum Ponti litora cernens,
 150 sic mecum tacitas cepi renovare querelas :
 151 "Ecce iterum tellus totiens optata per undas
 152 destituenda mihi fragili et credenda carinae
 153 est anima et quicquid vitae mihi fata relinquunt.
 154 Quae regio mihi fida manet ? Quis angulus orbis
 155 excipiet ? Quo finis erit requiesque viarum
 156 immeritaeque fugae ? Qua tandem sistere terra
 157 fata jubent ? Veteres ne usquam memorare labores
 158 dulce erit ? An semper populos gentesque vagari
 159 cogar ad ignotas ? Nullaque quiescere in urbe,
 160 fas erit ac hominum sortes rerumque recursus
 161 exemplo monstrare meo totumque tenere
 162 vulgus in auriculas stupidum narrantis ab ore ? "
 163 Tum gemino in Pontum conversus lumine pergo,
 164 aequor Amazoniis multum memorabile peltis
 165 divitiisque cutis auratum vellus habentis
 166 et rate semideum remis et viribus acta,
 167 tum pueri Herculei raptu fratrisque resecto
 168 corpore Medae manibus domitisque juvenis
 169 flammivomis campoque dei bellantis arato.
 170 Sit mihi fas, avibus dextris, a litore navem
 171 solve et antennas velis implere bicornes
 172 atque undas sulcare tuas, facilique volatu
 173 cernere Danubii septemplicis ostia laetis
 174 luminibus taurosque truces quos submovet isthmos
 175 margine Sarmatico Bycesque impervia cingit,
 176 quo pigra Maeotis Pontum Tanaimque receptat.
 177 Haec ego dum memoro Peucem Boreamque relinquo
 178 a tergo subiique Noto cursuque secundo
 179 ostia, quis nomen limosa Tiagola fecit ;
 180 inde huc advectus quo cum spes certa salutis
 181 esset et optatam monstrarent fata quietem,
 182 omnibus exactis graviora pericula multo
 183 sustinui doluique maris terraeque procellas,
 184 quas ego diverso prius exagitatus in orbe
 185 pertuleram, nequissime meis imponere finem
 186 casibus incusans tetricarum fila sororum
 187 quod possent longa serie durare malorum ;
 188 tantaque saepe mihi venerunt taedia vitae,
 189 ut liceat matris cineres jurare sepultos
 190 viventisque patris certam fratrumque salutem

191 me crebro voluisse mori capuloque paratam
 192 admovisse manum petiturus pectora ferro
 193 et fastidito sic discessurus ab orbe.
 194 Sed sortem miserata meam seriemque laborum
 195 sive deum pietas volucris seu mater Amoris
 196 ad patriam, mea vita, tuam vestigia tandem
 197 errabunda tulit meque hic consistere jussit ;
 198 quo postquam tua forma mihi moresque pudici
 199 et probitas vitae patuit : "Mea protinus - inquam -
 200 haec tellus natalis erit funusque quiescet
 201 Sarmatica sub rupe meum cum stamina franget
 202 e tribus una soror numerosque impleverit aetas".
 203 Et gaudere mihi tacito sub pectore cepi
 204 Te propter mutasse patrem carasque sorores
 205 et fratres patriamque simul celebresque sodales
 206 et quicquid Latii cupiendum claudit utrumque
 207 litus et arctoas glacies gelidasque pruinas
 208 praeposui veri Calabro violisque Vesevi.
 209 Et merito. Fessum jam dudum mole laborum
 210 instauras tu sola caput corpusque solutum
 211 jam prope et attiguae cupiens concedere morti.
 212 Tu vires animo reddis, mea Fannia, rursus
 213 et suades alios jam jam sperare recursus
 214 fortunae : plures etiam graviora recenses
 215 perpressos solisque jubar post nubila nautas
 216 exspectare doces, multum superesse futuri
 217 temporis et facile in melius mutabile murmur
 218 criminis ignoti, persaepe exordia laudum
 219 nascere non meritae passim de nomine culpae.
 220 His ego firmatus, tamquam consumptus Ulixes
 221 naufragio Alcinoi verbis opibusque, resumpsi
 222 spem solidam et vires animi quae tempore ab illo
 223 exstiterint : tu sola refer quae mentis in arcae
 224 imperiosa meae tenuisti sceptra torumque
 225 et tibi curarum patuere arcana mearum.

AD IACINTUM LAURENTEM

C2_02 v.1 Si queris quales habeat Fannilla papillas,
 2 candida purpureis lilia junge rosis.
 3 Quae venit ex illis inter se gratia mixtis
 4 illam Fannillae pectus habere puta.
 5 Adde quod et myrrham violas opobalsama amomum
 6 cinnama tus Maurum succina semper olet,
 7 ambrosiasque dapes et pocula nectare plena
 8 et quaecumque Jovis mensa habet illud habet.

ALITER

C2_03 v.1 Te nascente domus tantum Longina Johannes
 2 laeta fuit, populus tristis in exsequiis.

AD GLAUCUM

C2_04 v.1 Tam procul a nobis escalia prima locantur
 2 ut vix tantumdem missa sagitta volet.
 3 Nec mutata loco manibus contingere possem
 4 si mihi Cyclopi brachia longa forent.
 5 Sic ego nec prima pascar nec lance secunda,
 6 sed vacuo repetam corpore Fanniolam.

AD IOVIANUM MIRICAM

C2_05 v.1 Qualia victrices regum testantia pugnas
 2 signa coronatis arcubus esse solent,
 3 talia tu caveis celans, Joviane, volucris
 4 efficis ut vivat carcere laeta tuo,
 5 nec velit ad solitas discedere libera silvas
 6 inque tua malis vivere clausa domo ;
 7 omnibus alitibus felicior illa futura
 8 cui caveam talem sors habitare dabit.
 9 Ipse ego si possim fieri Philomena laborem
 10 inque tuas irem sponte tenenda manus
 11 aeriasque vias atque otia libera silvae
 12 despicerem caveae capta nitore tuae.

EVOCATIO EX RURE IN CIVITATEM PRO NATALI CHRISTI
 AD GREGORIUM SANOCEUM LEOPOLIENSEM ARCHIEPISCOPUM REVERENDISSIMUM

C2_06 v.1 Ecce iterum nati redeunt solemnia Christi
 2 luxque salutaris mundo praedictaque priscis
 3 vatibus et denis pariter promissa Sibyllis.
 4 Ipse mihi infantis videor sub imagine parvi
 5 algentem spectare deum duroque jacentem
 6 stramineae praesepe casae cui sedulus adstat
 7 bos asinusque simul quantosque in pectore servant
 8 munere divino tantos afflare calores
 9 nituntur puero gratesque exsolvere vitae
 10 acceptae properant vitalis flatibus aerae.
 11 Illinc maesta sedet genitrix queriturque pusillum
 12 utpote tunc natum vel vili involvere panno
 13 filiolum non posse suum paleasque rigentes
 14 mollit et in corpus lacrimat saevire tenellum.
 15 Inde senex tremulus procul aspicit et timet illum
 16 laedere si tangat cum jam se morte propinqua
 17 sentiat algentem rigeatque a frigore brumae.
 18 Non tamen aethereo faciem detorquet ab ore
 19 nec satis aspectu satiat sua lumina sacro,
 20 tanta est in parvo genitoris gratia nato.
 21 Hinc duce tergemini procumbunt sidere reges
 22 sordidaque aurata verrunt fenilia veste
 23 donaque gemmatis reserantes lancibus, orant :
 24 accipiat non digna deo sed qualia possunt
 25 munera mortales offerre et ad oscula pronus
 26 flectitur illorum senior pedibusque labellum
 27 admovet incanum seniumque relinquit in illis.

28 Exsultant pecoris magno clamore magistri
 29 rusticulisque notis rerum mundique parentem
 30 adventasse canunt pacemque tulisse per orbem
 31 nec dubitant tanto praesenti numine saevos
 32 posse lupos violare gregem tenerosque vagari
 33 permittunt fetus nullo custode per herbas.
 34 Tu tamen aprici captus dulcedine ruris
 35 lentus abes neque te revocat moderamen ovis
 36 aut tibi commissi gregis instauranda voluptas ;
 37 ille quidem laetus tam sancte lucis honores
 38 apparat et vertit totas ad gaudia mentes.
 39 Si tamen ipse sinas quid enim pastore remoto
 40 laetificum posset gregis exercere tumultus ?
 41 Jam satis aspectu sacro, pater optime, villa
 42 exornata tuo est, sat te tenere volentem
 43 urbe procul gelidi colles vallesque virentes,
 44 dum passim florebat ager, dum quaelibet umbra
 45 nobilis arbor erat, placidis dum dulce quietes
 46 in ripis fluvialis aquae properantis ab antro
 47 muscoso captare fuit, dum flevit hirundo
 48 et soror Ismarii scelus exitiale tyranni,
 49 Dum Charites junctis manibus lusere per arva
 50 inque sacris lucis Dryades duxere choreas.
 51 Sed jam bruma riget, glacies jam gramina condit
 52 Sithoniaeque nives, jam nulla est gratia campis,
 53 jam furor arctoi Boreae fontana repressit
 54 murmura et ex omni decussit stipite frondes,
 55 omnia jam simili squalent horrore geluque
 56 ignibus et tecto moderandum rursus ad urbem
 57 Te vocat aurati donec per cornua tauri
 58 Phoebus agat currus Zephyrusque remulceat ortos
 59 uxorisque suae tellurem dotibus ornet.
 60 Hoc tua, crede, salus possit caelique procella
 61 immodica et minimis jam nunc violabilis aetas.
 62 Te gregis affectat fervor, te Virginis almae
 63 Sancta puerperia et nostrae lux diva salutis
 64 Natalisque Dei at si tantis jungere causis
 65 parva licet, te Musa tui vocat ecce Philippi.

EPYTAPHIUM IOHANNIS LONGINI IUNIORIS

C2_07 v.1 Parcere si cuique sciret Libitina, Johannes,
 2 a te debuerat continuisse manus
 3 ut foret exemplum morum vitaeque decorae
 4 quod possent homines per sua facta sequi,
 5 vel si noluerant te vivere fata perenne
 6 solvisset corpus sola senecta tuum.
 7 Sed cum plus decuit te vivere raptum ab orbe
 8 liquisti lacrimis lumina plena tuis,
 9 nec tamen Longina gemit tua fata propago,
 10 sed populus plorat sidus obisse suum.
 11 Quicquid erat mortale tui lapis iste recondit,
 12 virtutum meritis spiritus astra colit.

ALIO MODO

C2_08 v.1 Nunc dolor arctoe telluris gloria quondam,
 2 nunc patriae squalor sed decor ante tuae,
 3 conditus hoc recubas saxo Longine Johannes
 4 et tecum cleri splendor honorque jacet.

ALIO MODO

C2_09 v.1 Cui virtus morumque decor pietasque fidesque
 2 et generis splendor religioque sacra,
 3 inter honoratos canonum de nomine primum
 4 contulit in templo Cracoviense locum.
 5 Hac jacet in scrobe Longinus juniorque Johannes
 6 cuius mens superas incolit alma domos.

ALIO MODO

C2_10 v.1 Hic jacet arctoi cleri decus omne Johannes
 2 per quem Longina gens super astra nitet.

AD IOHANNEM LONGINUM SENIOREM

C2_11 v.1 Cum tumulo sculpenda mihi nunc carmina Clio
 2 cantasset maesto pollice fila movens
 3 irreligata comas et pulla tecta lacerna
 4 Calliope et casti cetera turba chori
 5 adstitit et dixit nostros testantia luctus.
 6 "Haec etenim certis collige verba modis."
 7 Nec mora funebres versus mihi quaeque notavit,
 8 ut posses gratos eligere ipse tibi
 9 sic ego Musarum numero tibi carmina muto,
 10 indice te, quovis tu modo carpe tibi.

EPYTAPHIUM ANNE LILIE

C2_12 v.1 Quae facie multas vincebat moribus omnes
 2 hic juvenis moriens Anna sepulta jacet.
 3 Lilia gens patrem dederat, Felstina maritum :
 4 cara sed est dubium cui magis ipsa fuit.

ALIO MODO

C2_13 v.1 Lilia progenies nomen fuit Anna, Johannes
 2 me genuit, Petrus duxit et urna tenet.

ALIO MODO

C2_14 v.1 Hic jacet exemplum casti matrona pudoris
 2 splendidior per quam Lilia secta domus.
 3 Anna sibi nomen fuerat genitorque Johannes

4 virque Felestino sanguine Petrus erat,
5 quem postquam fecit formosa prole parentem
6 ante diem morti lumina victa dedit.

EPYTAPHIUM DOMINI CASTELLANI CRACOVIENSIS

C2_15 v.1 Defleat exstinctos alios domus una sed istum
2 cum populo ploret terra Polona suo,
3 Tauxine quoniam vidit moriente Johanne
4 exstinctum sidus et decus omne suum.

ALIO MODO

C2_16 v.1 Implebam multas solo qui nomine terras,
2 aspice quam parvo nunc tegor in tumulo.
3 Non mihi sed patriae vixi, potuitque placere
4 Mors mihi ni primus hoc vetuisset amor.
5 Dicebar sidus Tauxine gentis ab arce
6 Cracoviae titulo nobiliore micans.

ALIO MODO

C2_17 v.1 Tauxina sum prole satus dictusque Johannes
2 Cracoviae sed plus (LACUNE) ab arce fui.

ALIO MODO

C2_18 v.1 I procul aut lacrimis vultum profunde viator,
2 non hic privati funeris ossa jacent.
3 Publica damna vides quibus icta Polonia flendi
4 jamdudum certum nescit habere modum.
5 Unica gens alios solet appellare parentes
6 nunc omnes patriae novimus esse patrem.
7 Cognomen Tauxim fuerat nomenque Johannes
8 et castellanus Cracoviensis erat.

AD FANNIAM

C2_19 v.1 Fannilla, rupis fama Bobritiae
2 nec digna vitam ducere villicis
3 tectis, Minervae perita
4 ruricolis melius per artes,
5 frondes virentes aspice ut arbores
6 postquam dederunt, floribus emicant,
7 tum poma emittunt colonis
8 mollia cum fuerint legenda,
9 quae in statuto tempore colligant
10 labuntur ipso ab stipite putrio
11 usuque nullo cadentes
12 quas genuit, videt arbor uvas.
13 Sic et comosis undique frondibus
14 spirante fulxit vere Favonio

15 truncus nitentes tuusque
 16 tum peperit posuitque flores,
 17 nunc poma ramos mitia degravant
 18 ultroque carpi protinus appetunt,
 19 ipsos sequuntur fugaces,
 20 En, digitos cupiuntque velli.
 21 At si resistes, preteriet dies
 22 et te senectus sordida circuet.
 23 Tunc qua potens nunc Fannilla
 24 non tibi non aliis placebit.

IN MENSAM CUPRESSINAM

C2_20 v.1 Quanta Jovem memorant post proelia saeva gigantum
 2 fercula convivii apposuisse deis,
 3 tanta licet soleas etiam meliora parare
 4 cumque Jovis certent nectare vina tua.
 5 Non tamen hanc credas tibi munus inutile mensam
 6 in qua mittentis sola notanda fides.
 7 Ipsa suo violas et lilia vincit odore
 8 cumque rosis, myrrham, cinnama, tura, crocum.
 9 Non Arabum quicquid reserunt a litore nautae
 10 reddet odoratas tam bene crede dapes.
 11 Sit licet imprudens coquus et male condiat ollam
 12 quidquid in hac pones mensa erit ambrosium.

AD MERGUM

C2_21 v.1 Quid parcis solito magis papyro
 2 et versus reticent epistulaeque ?
 3 Quis mecum calamus lepore plenus
 4 ludebat prius omnibus diebus !
 5 Numquid sum male blacterare visus
 6 cum vulgus tenuit cathedra nostra ?
 7 Et jam te pudet oscitationum
 8 quas parum lepidus parumque cultus
 9 Jeunia aperui locutione,
 10 aut jam pontificum magis placere
 11 ceperunt tibi juris actiones
 12 et spreto titulo Mercuriali
 13 consultus potius vis esse juris ?
 14 Sed non sit tibi balbutisse tanti
 15 linguam Callimachique exsulare
 16 poesim velis eloquentiamque.

AD MARCUM IACOBUM DE DABNO CASTELLANUM CRACOVIANSEM

C2_22 v.1 Dabnigena arctoe regionis gloria prima
 2 cujus ingenio publica nixa salus
 3 hactenus invicti fortunam respice regni,
 4 a te quae suplex jure precatur open
 5 magnanimaeque petit dextrae virtute levare
 6 cum velut inflexo poplite paene cadat.

7 Jam pridem novit dubiis agitata periclis
 8 quid valeas armis quid ratione potes
 9 et quantum de te possit sperare fatentur
 10 temporis exacti splendida facta tua.
 11 Sed nunc consilio magis et virtute levanda
 12 praeteritis instant cum graviora mala.
 13 Intumet oceanus violentaque bella minatur
 14 hinc ubi perpetuae foedera pacis erant,
 15 illinc Danubii non mitior unda tumescit
 16 imminet et nostris ambitiosa bonis,
 17 nec leviora istis Scythici parat ira tumultus
 18 et nostra hostili jam tenet arva pede.
 19 Ante alios regi merito tua proxima cervix
 20 per quam tam vastum sustineatur onus.
 21 Concipe consuetos animos et pectore forti
 22 qua magis infestus advenit amnis eas,
 23 exemproque tuo desint trepidare minores
 24 et servent patriae remque decusque suae.
 25 Vidi ego quid fuerat pridem sanabile vulnus
 26 postmodo sanandum mellius artis ope.
 27 Et novus exigua restinguitur ignis ab unda,
 28 spernit et ingentes multiplicatus aquas,
 29 non dum vulneribus serum est adhibere medentem.
 30 Flammaque non multa sparsa quiescet aqua
 31 tu modo consilio forti nutantibus adsis
 32 et durum errantis dirige navis iter.
 33 Fracta erat adversis Romana potentia rebus
 34 et potuit Poeno subdere colla duci.
 35 Sed Fabius victis aliis formidine multa
 36 restituit patriae rapta decora suae.
 37 Fecerat hoc ipsum Gallorum cede Camillus
 38 et novus exusta conditor urbe fuit.
 39 Tu quoque qui cunctos merito praecellis honore,
 40 nec cedis Fabio corpore nec animo,
 41 quicquid agant alii patriis occurre periclis
 42 parque tuis animis agrediari opus.
 43 Servator patriae toto celebraberis orbe
 44 inferiorque tua laude Camillus erit.

LILIUS AD INVIDUM

C2_23 v.1 Musa, coronatis semper victura capillis,
 2 non metuas linguae murmura saeva malae ;
 3 non te livor iners non quod terit omnia tempus
 4 non mare non flammae debilitare valent.
 5 Quid furis insane nimium linguamque malignam
 6 in magni exerces carmina Callimachi ?
 7 Nil agis, o Corydon : vivent haec carmina, vivent,
 8 cumque suo vivet carmine Fanniola.
 9 Desine vel docto si non vis parcere vati,
 10 invide, jam sileas ; invide parce tibi.

AD PAMPHILUM

C2_24 v.1 Cum Venus et Juno Pallas in vallibus Idae
 2 judicio formae succubere suae,
 3 Candida deposita sic inquit veste Dione :
 4 "Illa ego cui teneri numen amoris inest
 5 et quodcumque vides pecoris per pascua passim
 6 si neget invictum, serviet omne mihi
 7 depositaque truces propria feritate juvenci
 8 qua poterunt "Vitule - voce loquentur - ave"
 9 et pede veloci moveant fera proelia quaevis.
 10 Magnanimus sociam nempe sequetur equus,
 11 agna parem caprumque vehet tunc sponte capella
 12 pectoribus cum me sentiet esse suis.
 13 Non quatient Libyci, jubeam modo, colla leones ;
 14 imperio quaevis subdita monstra meo ;
 15 non fugiunt levibus pennis mea tela volantes
 16 et medio flammis flumine piscis habet ;
 17 nec sinit immunes homines vis maxima nostra
 18 dictaque sum quavis in regione potens.
 19 Parrhasiae stellae me Cancrī sidera noscunt
 20 et pariter surgens occiduusque dies ;
 21 et moneo nullis divum mea regna minora,
 22 at mihi caelicolum cum Jove quisque subest,
 23 at ne quidem multos referam collecta per annos
 24 nominaque longum dinumerare foret.
 25 Rex superum niveis per me circumdatus alis
 26 movit olorinas, ore gemente, notas
 27 nec prius assuetum libravit in aethere corpus
 28 caelestesque tulit destituisse domos.
 29 Inde Mycenaeam volucris delapsus ad urbem
 30 constitit in gremio, credula Leda, tuo
 31 et tibi tractandas mendaces praebuit alas,
 32 quamque potest cygnus, tunc tibi blandus erat
 33 donec fecundo cepisti semina ventre.
 34 Nec licuit, dempto crimine, nosse deum.
 35 Dena renascebant tenuatae cornua lunae,
 36 ut positis pennis Jupiter astra subit.
 37 "Affer opem", subito dixit concussa dolore
 38 Leda, graves lacrimas nec tenuere sinus.
 39 Sensit et auxilium tulit Lucina precanti.
 40 Cumque sua est Helene nata sorore simul,
 41 quas superum regem subito genuisse putares,
 42 ingenuus fuerat tantus utrisque color.
 43 Una tamen forma tantum testata parentem
 44 quod faciem, qua me vincere possit, habet.
 45 Hanc tibi connubio jungam socerumque Tonantem
 46 "Judice me - dices si modo - pulchra Venus ".
 47 Conticuit, Phrygiusque Paris sua verba sequutus :
 48 "Pulchrīor est teneri mater amoris" ait.
 49 "Haec pretium formae teneat, me judice, pomum,
 50 Juno, tua venia, pace, Minerva, tua".
 51 Tunc tua nequicquam fuerat sed nata puella
 52 cum data Trojano femina Graia viro.
 53 Nam Venus accepta pretium pro laude dedisset
 54 quam tibi perpetuus conciliavit amor.

55 Quae superat facie tantum formosa Lacenam
56 quam fuit Argivis illa decora magis.
57 Moenia nequicquam cecidissent monte Pelasgo
58 quae sacer Aonia struxit Apollo lyra
59 hactenus et Priami tenuissent regna nepotes
60 hic ubi sunt regni sola relictata loca,
61 ni pariter tecum subito pro conjuge rapta
62 armasset vires Itala turba suas.
63 Nec dubium Grai quantum doluere Lacaenae
64 tam Latii raptum dedoluisse tuae.
65 Nam bona forma viros deduxit in arma Pelasgos
66 conjuge nec plura vir caruisse tulit.
67 Tu quoque formosa pariter spoliatus amica
68 tinxisses Phrygio sanguine saepe manus.
69 Et Latiis Helene fuerat repetenda Latina
70 ut fuit Argivis Graeca petita viris.
71 Litus et Hesperium victis patuisse negasset,
72 nosset et Iliacos altera terra deos ;
73 sic atavum Aeneam Romanae conditor urbis
74 dixisset numquam Romulus esse suum.
75 Sed melius superos quid sit cognoscere promptu
76 humanis rebus consuluisse reor.
77 Dum Phrygias cecidisse domus voluere Pelasgis
78 viribus et belli causa Lacaena fuit
79 teque tua letum patiuntur vivere terra,
80 nullaque ni Veneris proelia nota tibi,
81 debile nec galeae subnutat pondere collum,
82 sed nitidas cingunt mollia sarta comas,
83 circuit et dominae collum, non aegida laeva
84 sustinet : hoc scuto gratius exstat onus.
85 Dextraque sollicitos calamum deum scribis amores
86 non hastam didicit sollicitare gravem,
87 Castraque non vigilis nocturno tempore lustras
88 ut perimas Rhesum sive Dolona ferum,
89 sed medio dominae junctus tua membra cubili
90 ponis et in somnis proelia nuda cies.
91 Plurima quid referam duri discrimina belli,
92 a quibus immunem te voluere dei ?
93 O quantum melius tibi fors quam cessit Atridae ;
94 non tibi pro rapta conjuge bella manent
95 et melior Paridi fuerit quae fors tua nunc est.
96 Non opus est raptam perpetuare tuum,
97 nec fuit innumeris ponti quaesita periclis
98 ut Phrygio Paridi quem tibi junxit amor.
99 Adde quod ista tuo pariter torquetur amore
100 et nulli quondam fida Lacaena fuit.